

ANEURYSMATIS VARICOSI
COMPLICATI HISTORIA
SPECIMEN INAUGURALE MEDICO-
CHIRURGICUM

QUOD

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES THEOPH. FLEISCHER

MITAVIA - CURONUS

DIE X. MENS. MAJI MDCCCXXII.



DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI

MDCCCXXII.

In primatur,

conditione tamen, ut, simulac typis excusa fuerit dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xxiv. Mens. April.
MDCCCXXII.

Dr. Ludovicus Emil Gichorius,
h. t. Decanus.

D 16758

Praemonitum.

MOIERO, Viro Perillustri, eodemque praeceptore maxime colendo, consentiente ac permittente aneurysmatis varicosi complicati, in nosocomio chirurgico Dorpatensi observati, historiam, TECUM, BENEVOLE LECTOR, communicare apud animum constitui. Quam quidem dissertationi inaugurali elaborandae inservituram eo libentius delegi materiam, quo rariora hujus morbi exstant observata, quo insolentior in femore est illius sedes et quo portentosiores adhuc ejusmodi erant sequelae atque eventus. Quibus quidem assertis proban-

dis stabilendisque ne defuturus esse credar, quaedam de aneurysmate varicoso pro virium mearum modulo e paucis scriptoribus carpere statui, subadditâ morbi historid.

At pauca haec, quae in medium proferre mihi licuerit, benevolo ut accipias animo, HUMANISSIME LECTOR, rogo atque oro. Vale!

Cognitio Aneurysmatum utinam certior esset; signisque munda pathognomicis desisteret turpissimis erroribus ansam praebere!

De Haen Rat. Med. V. 187.

ADAMUS, rusticus Esthonus, quadragessimum octavum aetatis annum agens, robustâ valentique corporis constitutione, neque unquam antea diro correptus morbo, decem abhinc annis infestam sortem expertus, in dextri femoris internum latus cultrum cibarium sibi infixerat. Sanguis tantâ cum violentiâ profuëbat, ut lipothymia mox ei superveniret, et ad haemorrhagiam arcedendam vulnere boletus ignarius admovendus artusque cingulo supra vulnus adplicato valide constringendus fuisset. Paucis post diebus, quos in lecto degerat, cutis vulnus coalescerat, et aegrotus per quatuordecim

dies utique convaluisse sese credidisset, nisi in cicatricis sede insolitam pulsationem percepisset. Pulsatione sensim sensimque adacta; denique tumorem, ab initio exiguum, non dolentem, pressioni cedentem et naturalem cutis colorem exhibentem observabat. Tumor lentissimo gradu ingravescens, annis octo transactis ad parvi pugni molem accesserat, omnis quidem doloris expertus, at pulsatione, quae aegroti, ceteroquin negotia sua obeunti, cordis ictibus assimilanda videbatur, insignis. Biennio elapso, cum quadam die solis e templo domum rediisset, curru in viâ salebrosâ vectus et curribus super assem currûs lateralem demissis, acerbi dolores exoriebantur in tumore, cujus moles valde accreverat, nec pulsationem ex illo tempore amplius percipere, nec nisi summo negotio, *incedere* licebat aegroti, hinc cubili plerumque adfixo. Nihil secius tamen tumoris incrementum procedit; cutis supra tumentem locum magis rubescit; calor ibidem perceptus ab aegroti, doloribus immanissimis divexato. Ante octo circiter hebdomadas, usque quo perduraverat iste status, tumorem incidi jussit phlebotomo elastico, sperans, fors, ut ex evacuatione materiae in tumore contentae magnam hauriallevationem, sed nihil omnino profluxit. Denique vero,

cum, doloribus in dies ingravescentibus vulnus inflic-
tum saniem foetidam eructare coepisset, nosocomii
chirurgici Dorpatensis auxilium implorare statutum ha-
buit cum animo, hinc die quarto mensis Octobris an-
no MDCCLXXXI. vespertino tempore ibidem receptus.

Aegrotantis status tunc hic fere erat: Ad affectio-
nem localem quod attinet, in dextri femoris latere
interno tumor adparebat stupendus, durus tactuque
renitens, infra femoris medium maximam prae se ferens
altitudinem, superne ad inguen fere, infra ad genu
usque, protractus. Hujus extremitatis ambitus in tu-
moris loco altissimo trium et viginti pollicum trium-
que linearum Par. erat, extremitatis salvae ambitu no-
vem pollicibus sexque lineis superato. Cutem supra
dolorosum tumorem valde tensam deprehendebamus,
nitidam, inflammatam, tactuque calidam, et in tumo-
ris centro vulnus phlebotomo elastico productum, au-
rei magnitudinem aequans, cujus in ambitu cutis jam
induerat lividum colorem. Hac ex apertura, sanguine
coagulato repleta, sanies bullulosa tum sponte proflue-
bat, tum, cum leniter comprimeres, evacuâri licebat.
Tumori fluctuatio hand perspicua et pulsatio vix ac-
ne vix quidem tactu percipienda, fortasse tamen po-

culo vitreo aqua impleto, tumosique imposito, obscure indicata, inest videbatur. In inguinis regione dextra fortior percipiebatur pulsus, quam in sinistra; in poplite autem aë supra dextri pedis malleolum nullum omnino pulsationis detegebatur vestigium. Arteriae compressione diutius prope inguen continuatâ, nullum comparebat tumoris decrementum. Totum crus, cujus temperies ceteroquin haud imminuta videbatur, parum oedematosum et in genu valde contractum erat, glandulis inguinalibus dextri lateris tumefactis. — Habitus aegroti pallidus reperiebatur, corpus magnis laboribus emaciatum, pulsus acceleratus, respiratio quidem normalis, lingua fere pura atque subsicca, adpeitius delictus, sitis aucta, sensorium non turbatum.

Ex aegrotantis relatione manâ de origine decursusque morbi factâ Aneurysma spurium diffusum *HUNTERI* (An. spurium primum *FOUBERTI*) ex Aneurysmate spurio circumscripto *H.* (An. sp. consecutivo *F.*) ante biennium obortum esse, nunc gangraenâ concomitatum, non poteramus non suspicari.

Quamquam aneurysmata tum verâ, tum spuria insigni plerumque omnino non careant periculo, in pri-

mis in eâ, quâ vexabatur iste Adamus noster, hujus morbi specie, ad tam immanem gradum prosecta pessima non esse prognosis non poterat.

Quae quum ita sese haberent, femoris amputatio, secundum hodiernae chirurgiae leges, tanquam ultimum ad vitam aegroti fortasse conservandam refugium, a praeceptore nostro maximo opere venerando, Perill. *MOIERO*, Chirurgiae in Caesareâ literarum universitate Dorpatensi Prof. P. O. proponebatur, cum non nisi rarissima aneurysmatum, gangraenâ tanto in ambitu accedente perdomatorum exstent exempla^{*)}, quâ de causâ tantum abest, ut gangraena aëquo animo sit ferenda, vel ad perficiendam sanationem optanda, ut magis sit metuenda. Quanta enim ad tantam sup-

^{*)} Ejusmodi observationes rariores *WILSON* (Chirurgical treat. p. 73. 74.), *WILSON* (Transact. of a soc. for improv. of med. Knowl. Vol. II. p. 268) et *HODGSON* (von den Krankheiten der Arterien und Venen. Aus d. Engl. übers. v. Koberwein, Hannov. 1817. p. 148) exhibent, atque *M. A. SEFFERINUS* (De recondita abscessuum natura libri VIII. Edit. sec. Francof. ad Moen. 1643. p. 175.) aneurysma gangraenosum cauterio actuali et pulveribus corrosivis adhibitibus felici cum successu tractavit.

purationem sustinendam vires requirerentur, morbo tantum ad gradum jam profecto, fac, ex haemorrhægiis nihil esse timendum.

Aegrotanti nostro, quum a propositione sibi factâ primum valde abhorreret, ad tempus usque, cum in consilio amputationis instituendae adquiresceret, omni bihorio duodecim Elixirii acidi Halleri guttae porrigebantur tumentique parti Corticis Quercus decoctum concentratum applicabatur.

Noctem ob acerbos dolores fere somni expertem exigebat aegrotus, calore atque sudore privatus, ardentibus siti faucibus.

Operationem istam chirurgicam die quinto mensis Octobris deano recusatam sequente die concessit. Hinc statim horâ duodecimâ meridianâ a *Morero*, Viro Perillustri, torculari quam altissime arteriae femorali applicato (cum secto quinque vixiter pollicum infra ligamentum Fallopiantum instituenda esset) et arteriâ ipsâ ossis pubis partem horizontalem versus a socio adjutore quodam compressâ, amputatum est femur. Ne nimia sanguinis copia effunderetur, cute cir-

culatim dissectâ et reclinatâ, musculorum sectio circularis duobus peragebatur momentis, et ita quidem, ut primo muscoli in parte femoris externâ siti disseccarentur. Parvam tantomodo sanguinis arteriosi copiam effundebat aeger, atque notatu dignum est, sanguinem, dum os serrâ disseccaretur, e parte femoris inferiori saltu prosiluisse. E venis cutaneis plus amittebat sanguinis, parum e vena femorali. Arteriae femoralis et septem aliarum deligationibus maximâ cum celeritate applicatis ac sanguine e vasis minoribus guttatim adhuc promanante, aquâ frigidâ sedato, trunci musculi undique examinati cum sanitate frui videntur, cutis lobi conjungebantur et filis deligatoris et rimae vulneris parte superiori antea protractis, quibusdam emplastri adhaesivi striis leniter continebantur. Pateris remotò torculari ad lectum tunc deductus reliquam diei partem placide transegit, nec de doloribus in trunco, lympham puram exstillante, conquestus, sed levibus interdum motibus convulsivis trunci musculi corripiebantur. Vespertino tempore pulsus paululum acceleratus, cutis haud plane sicca, nec sitis valde aucta erant. Commendabatur apprimè alens diæta, cibus concoctu facilis, pro potu, aquâ, cum Cremore tartari, subministratâ.

Die septimo m. Oct. *) mane patiens optime sese habuit, quamvis, ob febrim validiorem totam fere noctem insomnem se peregrisse renunciaret. Pulsus modo erat irritatus, sijs minor, lingua fere humecta, appetitus mediocriter, alvi excretio normalis; e trunco satius inflammato atque tumido lymphâ purâ exstillante. Vesperi pulsus modice tantummodo acceleratus inveniebatur.

Per diem octavi h. m. praeteritam noctem melius dormierat, et ex pulsu aliisque symptomatibus nulla febris adfuisse videbatur. E vulnere vero, quod quidem melioris conditionis erat, cum adipis particulis commixtus profluebat humor aquosus. Hora undecimâ antemeridianâ levis horripilatio, calore et sudore subsequenter, intercessit (coëptae suppurationis fortassis index), sed post meridiem et vespertino tempore omnibus fere motibus febrilibus vacabat.

* Postero die de tussiculâ tantummodo, quâ per noctem vexatus esset, conquerebatur aegrotans, vultu

*) Cruris amputati dissectionem, quam hodie instituimus, videsis sub finem morbi historiae descriptam.

tamen majorem prodens hilaritatem, quam ante ipsam operationem factam. Cerevisia et recentes ad ignem tostii pisciculi (Salmones Maraenulae), quibus adpetitui indulgere cupiebat, quotidie concedebantur aegroti et sub noctem pulvis e Pulveris Doweri granis quatuor cum Sacchari albi scrupulo dimidio mistis in usum vocabatur, ut mitigaretur tussicula, nec somnus turbaretur.

Die quarto inde ab amputatione institutâ omnia pariter optime succedebant; particulae vulneris emortuae deiciebantur, sed quoti manabat tenuis adhuc indolis erat. Vespertino tempore, quò pulsus paululum acceleratus deprehendebatur, iterum Pulverem Doweri accepit aegrotus.

Die undecimo m. Octbr. ad sustinendam concoctionem suppurationemque adjuvandam infusum sex unciarum e Radice Calami aromatici cum Tincturae aromatico-acidae drachmis duabus commendare visum est, ita, ut aeger horis alternis cochlear majus assumeret.

Die h. m. duodecimo mane aegrotus bene se habe-

bat, nullo febris symptomate percepto; cessaverat etiam tussicula et compluria jam exhibebat truncus puncta rubra. Horâ decimâ vespertinâ pulsum non nisi irritatum parumque acceleratum, cutem madidam inveniebamus, at, linguâ quantumvis subsiccâ, nullam sitim. Horâ undecimâ horripilatione, quam calor, nullus quidem sudor, sequebatur, correptus totam fere noctem insomnem transegit, truncus dolente sitique vehementius urgente.

Die septimo post amputationem institutam non quidem optata status vicissitudo animadversa. Pulsus debilem, valde acceleratum, saepe fere evanescentem, linguam siccam atque perurentem sitim, respirationem brevem, adpetitum deletum, alvi quidem excretionem normalem et urinam ante limpida nec non nubeculam formantem, nunc turbidam offendebamus, sedimenti expertem. Sensorium commune haud turbatum, sed vultum graviorum malorum augurem videbamus. Truncus etiam magnam prae se ferebat depravationem, nam calor ejus imminutus atque pus tenuioris notae erant, omnisque vulneris facies pallidum induerat colorem. Quibus quidem cognitis China exsequente formula praescribatur: Rec. Corticis Chi-

nae flavae unciam unam, coque cum aquae fontanae quantitate sufficiente; colaturae unciarum octo adde; Tincturae aromatio-acidae drachmas duas. S. Propinetur quovis bitorio cochlear cibarium. Truncus superimponendum infusum specierum aromaticarum vinosum, pro potu aqua cum vino mixta commendabatur. Horâ duodecimâ meridianâ nausea et mox vomitus liquoris serosi cibus e jentaculo sumitis commixti, exoriebantur. Horâ unâ praeterlapsâ maximâ anxietate correptus in lecto se volutabat aegrotus, de praecordiorum doloribus vehementissimis questus, vice creberrime iteratâ exclamabat, cor sibi diruptum iri. Respiratio erat difficillima brevisque, pulsus minimus, frequentissimus, digitorum tactu vix percipiendus, frons sudore frigido tecta, at sensorium tamen nullam significabat perturbationem. Quâ in conditione patiens per horam fere dimidiam constitutus, ante quam e medicamentis praescriptis quicquam adumere potuisset, e vitâ decessit.

Die decimo quarto mensis Octobris horis antemeridianis sectio cadaveris instituta est.

In cranii cavitate vasa venosa sinúsque sanguine atro fluido reperiebamus omnino repletos.

Cavitate thoracis aperta pulmones haud mutatos passim membranis spuris filiformibus pleurae, et utriusque lobum inferiorem, praesertim dextri pulmonis, diaphragmati inveniebamus accretes. Cordis omnibus in suis partibus magni atrium venarum cavarum adeo extensum adparebat, ut ejus parietes multis in locis non nisi e tunica cordis internâ externâque constructi ideoque tenuissimi viderentur, in aliis autem fibrae musculares condensatae et collectae atque hac de causa parietes hic quoque multo crassiores, quam in statu normali, erant. Totum saccum venosum explebat coagulum album ex parte sanguinis fibrosâ depositum. Idem quidem coagulum, quamquam non tantae magnitudinis in venarum pulmonalium atrio inveniebatur. Aorta thoracica, licet ampla, nil notata dignum exhibebat.

In cavitate abdominis omentum majus ab intestinis tegebatur. Hepar haud mutatum, sed volumine auctum, in regione hypochondriacâ sinistra late patebat et concrementis, pariter in pulmonibus obviis, similibus diaphragmati ventriculoque adhaerebat. Vas portae sanguine scatebat atro fluido. Lien, nimis molles, facile digitis lacerabatur. Venae renales am-

plae et sanguine valde turgescentes repertae. Ventriculus intestinaque superiore coli descendens parte excepta aëre nimis inflata erant. Remotis visceribus aorta abdominalis bonâ conditione gaudebat; sed vena cava ascendens colore ex nigro purpureo nimis sanguinis fluidi copiâ, utut omnes abdominis venae, scatebat. Haec venâ, ab origine fere ad venarum cavarum atrium usque, in omnibus tunicis livorem coloris cerasorum similem induerat et in fossâ pro venâ cavâ hepatis adeo adhaerebat, ut haudquaquam ab hoc organo penitus separari posset. In pelvis partis dextrae telâ cellulosâ materiem gelatinosam flavescens colore praeditam deprehendimus.

Ad truncum quod attinet, cutem, cujus lobi jam compluribus in locis cum musculis eosdem tangentibus in amputationis loco conjuncti erant, paululum oedematosam, glandulasque inguinales tumefactas offendimus. Arteria femoralis profunda dodrans poll. circiter infra ligamentum Fallopiam ab arteriâ femorali communi decesserat. Ab hoc loco ad ligaturam usque thrombus albus, multis jam vasis organisatus, tunicae internae longitudine dimidii pollicis infra firmiter adhaerens vasisque sanguiferi totum lumen replens, arteriae

femorali, nullo quidem inflammationis vestigio insigni inerat. Lumen venae densâ telâ cellulôsâ arteriae adhaerentis in loco amputato parum coarctatum et eodem modo, ut arteria, thrombo clausum erat. Ut vena femoralis, ita et utriusque lateris, vena iliaca haud inflammatae offerebantur.

De parte femoris amputatâ haec nobis occurrerant notanda:

Curâ valde extensâ per longum dissectâ et a tumore separatâ fasciam latam eandemque tenuissimam et quasdam maculas lividas ostendentem, maxime vero eo in loco, cui phlebotomum elasticum infixum fuerat, remotâque fasciâ musculum sartorium in latitudine valde extensum cum musculo gracili coalitum gangraenâque correptum deprehendimus. Dissectis musculis pallidis per longum tumoris atque reclinatis, in magnam sanguinis coagulati molem, cum musculis omnino non cohaerentem et ubique ichore, gangraenoso obtectam incidimus. Hac massâ oblongâ remotâ, pondus quinque librarum medic. aequante atque e multis coagulis lamellarum more dispositis, extrinsecus colore pallidiori densiorique consistentiâ, intus vero

magis colore sanguineo ac substantiâ molliori et in centro sanguine subfluido adhuc praeditis constructâ, cavum intra musculos, gangraenâ valde correptos et sanguinis massâ e conjunctionibus normalibus egressos, sartorium, gracilem, vastum internum, tricipitem, rectum femoris femoraemque nec non denudatum os femoris formatum a transitûs vasorum femoralium locò per cânalem tendinosum musculi tricipitis originem ducens et septem pollicum in altitudinem se extendens nobis in conspectum se dabat. Amputatio pollicis latitudine ultra destructionem gangraenosam instituta erat. Vasorum sanguiferorum a sanguinis mole in caevitatis fundo depressorum laesio jamnunc erat in apertico. Arteria scilicet nec non vena femoralis sex circiter pollicum supra genu eò in latere, quod os versus respicit, vulneratae et utriusque vasis aperturae juxta se positae erant. Inflammatio inde exorta utriusque vasis parietes in statu normali telâ cellulôsâ laxâ conjunctos firmiter conglutinaverat per trium pollicum spatium et sanguis profluens sibi e telâ cellulôsâ vasa circumdante, inflammatione constipatâ, saccum, basi angustiore vasorum aperturis adhaerentem et extrinsecus quibusdam sanguinis coagulati duris lamellis obtectum formaverat. Sanguinis ingens moles, cujus supra jam

mentionem fecimus, etsi magnâ cum curâ solliciteque remota, sacco illum in culmine diruptum, cujus cavitas laevis alba nucem juglandem caperet, secum tulerat. Ex arteriae cylindro, pollicis fere latitudine, dodrans, venae vero minor pars destructa erat. Circa sauciationis locum vasorum tunicae valde incrassatae et aperturae vallo fere cartilaginoso, sed fragili, circumdatae reperiebantur. Musculo vasto interno, inprimis in venae regione, multae particulae calcariae adhaerebant. Vena femoralis supra locum affectum parvo in tractu rubefacta, sed non dilatata, infra vero, ad poplitem usque rubore tincta inveniebatur. Venam popliteam per trium fere pollicum sp. plane in funiculum teretem conversam, nec non venam tibialiam posticam totum per tractum inflammata et, quantumvis haud omnino in perviam, in valvularum regionibus thrombis organisatis cum tunica internâ cohaerentibus repletam, venas cutaneas et musculares amplificatas deprehendimus. Arteriae femoralis tunica interna multas exhibebat rugas transversas, ejusque lumen supra laesionem alterius femoris vase haud majus, sed infra insigniter imminutum erat. Nervus femoralis haud mutatus videbatur. Sacco aneurysmatico pars ossis femoris a musculis demutati, cujus superficies rugosa per duorum

pollicum longitudinem colore nigro tincta, sed earie non correpta erat, respondit.

De aneurysmate varicoso in genere.

Definitio.

Aneurysma varicosum (A. venosum, A. mixtum, A. per anastomosin, seu Varix aneurysmaticus) est tumor sanguineus ex communicatione praeternaturali arteriam inter et venam, juxta se cursum tenentes, intercedente, obortus.

Origo.

Licet aneurysma varicosum morbis recentioris originis haudquaquam sit adnumerandum et ex illis inde temporibus, quibus phlebotomiam instruentis secantibus instituere coeptum est a chirurgis, facile deduci possit 1); licet ipsi *GALENO* haud ignotum fuisse vi-

1) Abhandlung v. d. blutadrichten Schlagadergeschwulst (An. venos.) v. *ANT. v. BRAMBILLA* in d. Abhandl. der Roem. Kais. königl. Josephin. medic. chirurg. Academie zu Wien. B. I. Wien. 1788. p. 92 - 110.

deatur secundum *AMBROSIUM PARAEUM* 2), et *PARAEUS* ipse hoc in morbo arteriam sauciata cum venâ communicare, eoque modo aneurysma formare sese adseveret, uti *BRAMBILLA* 3) contendit; — licet multi Italiae veteres chirurgi sub *aneurysmatis mixti* nomine, nimirum quum vel arteria unâ cum venâ morbo corripiatur, vel sanguis arteriosus venoso commisceatur, hanc aneurysmatum speciem intelligant et *G. A. DELLA CROCE* 4) venam, in quam „lo spirito arterioso“ transit, sua vernacula usus, „vena arteriale“ nuncupet, omnia hujus morbi symptomata designet,

2) Les oeuvres d'*AMBR. PARÆ.* etc. avec fig. Gieme edit. Paris 1607. Livr. VII Chap. XXXIV. De l'Aneurisme.

3) Op. cit. — Paræi verba sequentia sunt: „Galen dit, que quand l'artere est ouverte par anastomose, il se fait vne maladie dite aneurisme. Elle se fait aussi quand l'artere est blessée d'une playe, et la peau, qui est dessus, se clost et cicatrise, et la playe de l'artere demeure sans estre agglutinée, ny bouchée, ou remplie de chair: semblablement pour avoir ouvert vne artere en lieu de la veine faisant la phlebotomie. Donc les aneurismes se font par anastomose, et diapedese, rupture, erosion, et playe.“

4) Chirurgia universale e perfecta. Venet. 1534. p. 394. conf. *BRAMBILLA* in op. cit.

meliorem statuat prognosin, quam in „*aneurisma arteriale*“, suaeque sententiae rationes adferat, ipsamque medendi methodum compressione adhibendâ suadeat; — licet *DAN. SENNERTUS* 5) hujus morbi proferat observationem, *FARR. HILDANUS* 6) aneurysmatum in arteriosum ac venosum distinguendorum mentionem faciat et fortasse quoque, ut nobis quidem videtur, casus iste ab *ANT. DE HAEN* 7) commemoratus huc sit

5) Opera omnia! Tom. V. Lib. V. Pars I. Cap. 45. „Novi vicinam meam quamdam, cui imperitus chirurgus, dum venam secare deberet, arteriam aperuit, quae jam ultra trigesimum annum Aneurysmâ nucis juglandis magnitudine in cubiti flexura interna habet et alias satis commode baccenas valet. Sibi non saltem digitis sentitur, sed etiam admota aure; quod fit ob spiritus vitalis per angusta meantis motum.“

6) Observationes et epistolae. Argent. 1713. p. 64. conf. *BRAMBILLA* l. c.

7) Rationis medendi Pars IV. Cap. II. §. 11. Edit. alt. Vindob. 1760. p. 53. „— — — Huic tumor longo minor sed tremulus motus longe major, eique, qui locum cum diutius digito explorat, perquam ingratus. Non video qui in externis Aneurysmatibus hujus tremoris meminerint Autores. Paraeus susurrum, sonitumve, non tremorem, observavit — — —“ et pag. 61. sequitur hujus tremoris explicatio, quae fide quidem carere videtur.

referendus, — tamen *GUIL. HUNTER* 8) hujus inventionis gloriam sibi vindicat, in binis observationibus anno 1757 et 1764. divulgatis. Quod quidem inventum et a compluribus ipsi sponte datur auctoribus eoque libentius, quo diligentiores hujuscemodi aegrotorum descriptiones exhibuit, et quo exactius per-spexit hujus morbi naturam. *HUNTERI* observationes mox *CLEGHORN* 9), *ELSE* 10), *WHITE* 11), *ARMIGER* 12) aliique confirmarunt.

De *GUATTANI* vero, quem *SCARPA* 13) inventionis socium ac participem commemorat, primum aegrotum anno 1769, alterum anno 1771 observasse atque ho-

8) Medical observat. and inquiries. Vol. I. p. 340. Vol. II. p. 390. *Billh. Hunters einige med. und chir. Beobachtungen und Heilmethoden. Aus d. Engl. v. C. G. Kühn. B. I. 1759. 1784. p. 29 - 48.*

9) Med. observ. and inquir. Vol. III. p. 110.

10) *ibid.* p. 169.

11) *ibid.* Vol. IV. p. 377.

12) *ibid.* p. 382.

13) *Sull' Aneurisma riflessioni ed osservazioni anatomico-chirurgiche. Pavia 1804. Capo XII. Della Varice aneurismatica. §. 9.*

rum aegrotantium historiis anno 1772 primum divulgasse constat 14).

Sedes et causa.

Etsi frequentior aneurysmatis varicosi sedes sit cubiti flexura post venae sectionem sinistre atque imprudenter factam, ita quidem, ut, simulac per venam in arteriam adacta fuerit lanceola, sanguis majori cum impetu et saltu, colore ex pallido rubro prosiliat, pluraque, quam vulgo adhibentur, requirantur molimina, ad sanguinem tandem sistendum (sistitur interim et venae exterioris vulnus cum cutaneo coalescit, interiori, quod arteriae vulveri respondet, aperto manente) — nihil tamen impedit, quo minus in aliis quoque partibus, in quibus venae supra vel juxta arterias decurrunt, post vulnera inflicta oriri queat. Hujuscemodi, quantum nobis quidem innouit, rariores casus sequentes tantummodo exstant: In femore post intrusam ferri fere candentis massam *BARNES* 15), in

14) *CAROLI GUATTANI* de spurio brachii aneurysmate historia III. et IV. vide *LAUTH* Scriptorum latinorum de aneurysmatibus collectio. Argent. 1785. p. 216 - 228.

15) *HODGSON* v. d. Krankh. der Arterien und Venen p. 514.

poplite ex gladii ictu *LARREK* 16) ibidemque ex sclopetuli ictu *HODGSON* 17) et denique confossis vasis subclaviis infra claviculam *LARREK* 18) bis hanc aneurysmatum speciem observarunt.

At non ex vulnere quocunq; inflicto solum, sed semel etiam *DE LA COMBE* 19) hanc vasorum communicationem praeternaturalem, ut vitium generationis primitivae, in vasis femoralibus reperit.

Diagnosis.

Tribus quatuorve diebus transactis, vel aliquot hebdomadibus praeterlapsis ex praevia vasorum sanguife-

16) *SABATIER* *Medecine operateire*. T. I. p. 417.
RICHERAND *Nosographie chirurgicale* T. IV. p. 65.
Edit. 4ieme. Paris 1815.

— — — in: *Dictionnaire des sciences medicales*. T. II. p. 109. *Articl. An. variqueux.* —

Böner Abhandlung über d. Chir. Krankheiten etc. Aus d. Franz. v. Kaj. Teyt of. 2ter B. p. 156. Würzburg 1818. *LASSUS* *medecine operateire*. T. II. p. 442, secundum *SCARPA* p. 91.

17) *Op. cit.* p. 516.

18) *Bulletin de la faculté de med. de Paris* 1812. 1 - 5. conf. *MECKELS* *Handbuch der pathologischen Anatomie*. B. II. Abth. I. p. 259. Lpzig. 1816. et *Diction. des scienc. méd.* T. II. p. 109.

19) *Journal de medec., chirurg. et pharmac.* T. XVII. p. 262.

rorum se invicem tegentium laesione, quaecum haud raro ecchymosis conjuncta est, tumor parvus, oblongus, circumscriptus et secundum venae sive eminentiorum, sive profundiorum situm magis minusve coeruleus originem ducit. Tumor plerumque ab ipsa venâ formatur, nam sanguis continuo ex adjacente arteriâ in venam transiens ejus in parietes arietat, venam distendit et varicosam reddit. Hujus tumoris centrum, in quo plerumque laesionis praeviae cicatrix invenitur, ambitu mollior est, motum singularem eundemque tremulum manus superimpositae vibrationibus campanae similem 20) excitat, strepitumque edit arteriarum pulsui similem et contemporaneum, utrumque tum supra, tum infra tumorem plus minusve extensum, in ipso tumoris centro, plerumque arteriae vulnere respondente, satis distincte percipiendum. *ARMIGER* 21) semel nec motum tremulum, nec sonum, sed solam pulsationem observabat. Strepitum illum, sanguine ex parvâ arteriae apertura in venam dilatam transeunte productum, alii cum sibilo, quem aer,

20) *RICHERAND* in *Dict. des sc. med.* T. II. p. 109.

21) *Med. obs. and inq.* Vol. IV. p. 382.

per parvum foramen transiens, edere solet 22), seu sono ultimo literae R a quibusdam hominibus in pronunciando nimis longe protractae 23), alii cum sono aëris per angustum siphonem penetrantis 24), alii denique cum strepitu aquae ebullientis, vel apis perrepantis comparant 25). In casu a *CLEGLORNO* 26) prolato strepitus admodum sensibilis fuit, cum specillum ferreum tumori imponeretur, alterâ extremitate dentibus captâ, vel auri admotâ; quam quidem ob causam morbus adeo nunquam molestus fuit aegris in somno capessendo, si cubiti morbo affecti, prope ipsorum capita essent dispositi 27). In casu a *WINTERO* 28)

22) *Willh. Hunters einige med. und chir. Beob. und Heilmeth.* B. I. p. 40.

23) *ibidem.*

24) *BOYER* in *Op. cit.* p. 159.

25) *ASMAN* de aneurysmate in *LAUTH* *Op. cit.* p. 621.

26) *Med. obs. and inq.* Vol. III. p. 115.

27) *Med. obs. and inq.* Vol. II. p. 404

ibid. Vol. IV. p. 379.

Willh. Hunters einige med. und chir. Beob. und Heilmeth. B. I. p. 40.

28) *ALOYS WINTER* Beobachtung v. einem durch totale Kompression geheilten Aneurysmate varicoso in *JOH. BARTHEL F. STEBOLD* *Chiron.* B. I. Stück 2. mit 2 Kupf. Nürnberg und Sulzbach 1306. p. 306.

observato strepitus per sex ad octo passus ab aegrotâ sensibilis fuit. Tumor hic ad nucis moschatae magnitudinem brevi increvit, ultra quam amplius procedere non solet, uti saltem complures contendunt auctores, a *WINTERI* observatione modo memoratâ si discesseris, quâ teste aneurysma pugni magnitudinem aequabat, et venae vicinae jam omnes, jam nra tantummodo, magis minusve varicosae redduntur, motui tremulo obnoxiae. Compressione plerumque tumor aneurysmaticus penitus evacuatur, quum sanguis perpetuo motu, vel plane, vel fere fluidus servetur. Evanescit quoque, nec pulsatio amplius percipitur, membro elevato, cum hac ratione sanguinis venosi propulsio cor versus adjuvet; membro autem juxta corporis latus dependente, aut venâ supra locum affectum compressâ accrescit atque valde tumescit, quâ quidem infra compressâ, nec pulsatio, neque aneurysmatis magnitudo immittitur. Arteriae compressione supra locum tumidum factâ illico cessat pulsatio, istâ contra relaxatâ, haec quidem eodem temporis momento redit. Chirurgus, simulac de compressione destiterit, valde intentus, clare distinguere poterit, quomodo sanguis in arteriâ defluat, deinde saccum aneurysmaticum repleat et denique in venam ascendant, quae quidem momenta senet ip-

ea pressim subsequuntur. Duplici ligaturâ, alterâ supra, alterâ infra affectum locum membro firmiter applicatâ, et sanguine e venâ dilatatâ ac scateate tunc expresso, facile ejus in arteriam reditum observare licet; missâ vero compressione detumescit et solvitur arteria. Leniter premendo tumoremque adtollendo indicem inter et pollicem membranâs arteriæ a posteriori venæ parte et locum, ubi arteria cum venâ in connubio constituta est, haud raro distincte percipi potest. Arteriæ truncus supra tumorem, si morbus per aliquot tempus jam persistit, naturali multo capaciore ejusque pulsus fortior percipitur, quam in latere opposito, prouti quidem *HUNTER* 29) et alii moment, id quod tamen non erat in *BERNSTEINI* 30) observatis. Hoc phaenomenon inde explicandum esse videtur, quod vasorum lumina secundum partes inde putriendas amplificari soleant; nam magna sanguinis pars, antequam partibus infra tumorem sitis advehitur, in venam transit et eor versus rursus tendit. Fortassis

29) Einige med. und chir. Beob. und Heilmeth. B. I. p. 35. et 38.

30) Praktisches Handbuch für Wundärzte nach alphabetischer Ordnung in 4 B. v. Joh. Gottl. Bernstein. 5te Ausg. B. 4. Spjg. 1820. p. 402.

et tumor ipse, arteriam comprimens, ad eandem amplificandam facit. Pulsus in partibus infra tumorem sitis debiliior molliorque evadit, quam qui membri sani esse solet, cum altera tantummodo sanguinis pars in eis advehatur, altera vero arteriâ egrediens statim in venam transeat.

Morbi differentiae.

Momente jam *HUNTERO* 31) hujus aneurysmatis pro aegrotorum diversitate exiguae locum habere possunt differentiae, jam quidem non nisi una vena cum arteriâ apartâ cohaerens, jam plures, vel omnes vicinae venae expansae atque magis minusve varicosae sunt redditae, quam ob rem varicum supra infraque aneurysmaticum tumorem major minorve extensio est, pro venarum ramificationum valvularumque per diversa membra distributarum diversitate. Venarum distensio autem, ut ab arteriæ sauciatae diametro aperturaeque magnitudine, ita et a venae capacitate ac modo, quo arteria cum venâ consortium continuat, pendeat necesse est.

31) Einige med. und chir. Beob. und Heilmeth. B. I. p. 32.

Modus videlicet, quo arteriae vulneratae canalis cum venâ cohaeret, differentiam, et gravio rem quidem, constituit. Interdum enim venae truncus exacte arteriae trunco incumbere atque tenuè inter utrumque vas telae cellulosae stratum levi inflammatione adhaesivâ exsudationeque lymphae plasticæ vasorum aperturas ita conglutinasse potest, ut illus inter arteriam venamque canalis perspicui non liceat. Tum quidem venae dilatatio rectior atque distinctior tumorem exhibebit. Hanc morbi speciem, quam HUNTER 32) in primâ, quam curandam suscepit, aegrotâ observavit, nomine *Varicis aneurysmatici* insignit HODGSON 33). Est aneurysma varicosum simplex.

Conditione autem mutata, sanguis, ex arteriâ sauciata profluens neque in venam apertam libere transiturus, tum ob vulnèrum obliquitatem, tum ob compressionem adplicitam, etc., telam cellulosam inter vel circa vasa sanguifera dispersam, sacci modo, sicut in aneurysmate spurio reperimus, distendit, canali quasi, per quem sanguis arteriosus in venae foramen se inferat, sibi praeparato. Pro sedis autem, quam sac-

32) Op. cit. T. I. p. 34.

33) Op. cit. p. 521.

eus ille aneurysmaticus vel inter arteriam venamque, vel ad earum latera teget, et morbi indoles non diversa esse non potest.

In illâ ab HUNTERO 34) in alterâ suâ observatione jam opinatâ et ab HODGSON 35) *aneurysma varicosum* nuncupatâ morbi nostri cum aneurysmate spurio complicatione, ubi saccus e telâ cellulosâ formatus inter arteriam et venam constitutus est venaeque dilatatae lateri inferiori insidet, alterum vas ab altero paululum removetur. Ambo tumores invicem supra se dispositi facile signis utriusque propriis distinguuntur 36). Vena distentâ quam lenissime comprimendo evacuatur et statim motus tremulus evanescit, sacco illo intermedio, profundius sito, superstitie. Tum mor hic aneurysmaticus, pulsatione simplici aneurysmatibus propriâ et cum eâ, quae in aneurysmate varicoso obtinet haud commiscendâ praeditus tactu durior adparet, tum ob parietes crassiores, tum ob sanguinem fortassis ibidem concreturn, pressioni haud

34) Op. cit. T. I. p. 39.

35) Op. cit. p. 521.

36) Boyer Abhandl. über d. chir. Krankh. B. 2. p. 160.

penitus cedit et hinc illinc post aliquot tempus secundum majorem minoremve telae cellulosaë laxitatem accrescere atque formam plus minusve irregularem a formâ venae solummodo dilatatae, seu varicis, valde diversam adipisci potest. Si morbus vehementius ingravesceret, verendum foret, ne denique inflammatio, suppuratio, gangraena, haemorrhagiae, ossium adjacentium absorptio, caries, luxatio ac fractura, cartilaginum erosio, musculorum artuumque contractio aliaque mala, ex aneurysmatibus prodire haud raro solita, enascantur ipsamque mortem inferant.

Alteram hujus complicationis varietatem praebet casus a nobis ipsis observatus, cum saccus aneurysmaticus e telâ cellulosa constructus non inter vasa dispositus esset, sed eorum lateri adhaereret. Quamquam prohi dolor! symptomata ab aegroto nobiscum communicata manca esse deberent, jure meritoque, uti videtur, concludere licuerit, hanc varietatem, quam maxime aneurysma spurium circumscriptum aemulari et aneurysmatis varicosi signa characteristica fere omnino deleri. Sanguinis arteriosi in saccum lateralem protrusi impetus valde infringitur ac debilitatur, antequam in venam transeat, et hac de causâ varicosa vena red-

datur haudquaquam necesse videtur. Pulsus etiam distinctior motusque tremulus multo obscurior percipitur. Ad strepitum illum singularem supra descriptum in aneurysmatibus varicosis plerumque obvium quod attinet, in nostro aegroto obtinuisse aegre poterat! cum sanguis e magnâ arteriae aperturâ libere in saccum se intulisset; ceterum alioquin adesse posse equidem haud infutias iverim, nam simile quid in aneurysmatibus quoque spuris circumscriptis ab exili arteriae vulnere enatis haud raro invenimus.

Quorundam morborum in extremitatibus obviorem quibuscum aneurysma varicosum confundi potuerit, brevis enumeratio.

Aneurysma verum. Quo quidem laborans aegrotus supra quandam arteriam ab initio pulsationem insolitam, cum arteriarum pulsu pari quasi passu ambulantem, persentit et post aliquot tempus tumorem parvum, regularem, mollem, circumscriptum, cuti concolorem, omni dolore atque calore vacuum, sine ullâ praegressâ causâ, vel post vehementem ictum, lapsum, validam corporis nixum, etc., exortum, observat. Tumor immobilis pressioni utique cedens, re-

laxatâ compressione illico redit. Arteriâ, cujus tunicae ipsae saccum formant aneurysmaticum, supra locum tumidum compressâ, ille pariter quidem evanescit, sed compressione infra eundem adplicatâ accrescit. Venâ et supra et infra tumorem compressâ, illius, nec decrementum, nec incrementum producit. Quâ in conditione aneurysma per plures annos versari potest, denique autem sensim sensimque cum tumoris incremento et plerumque cum pulsationis decremento magis indurescit ac plane evacuari ulterius nequit. Si morbus magis invaluerit, tunc aut rupturae metus imminet, aut cutis lividum induit colorem, exoritur inflammatio; tumor ad gangraenam tendit.

Aneurysma spurium circumscriptum cum modo memoratâ aneurysmatum specie bene congruit, nisi ex arteriâ sauciata originem traxerit. Saccus, quem tela cellulosa arteriam circumdans constituit, pressione sensim tantummodo evacuatur et, sublata compressione, similiter repletur, utrobique haud raro sonus percipitur. Tumoris durities atque pulsationis obscuratio, vel abolitio prius, quam in aneurysmate vero deprehenderit, observatur.

Varices tumores exhibent irregulares ac nodosos,

plerumque in extremitatibus inferioribus obvios, nec nisi semel, *HODGSONIO* 37) teste, in cubiti flexurâ a *PETITIO* observatos. Cutis tumores molles pressurique cedentes tegens colore coeruleo tincta est. Venâ infra locum tumentem compressâ, varices evanescunt, compressione supra adplicatâ, increscunt; arteriae compressio nullas invenit mutationes; solâque pulsatione gaudent, si supra ramum arteriae majorem sedes fixerint.

Aneurysma per anastomosin 38) (*Angiectasia* 39), rarissime extremitatibus insidens, respectu quodam cum aneurysmate varicoso convenit, quum utrique et pulsatio et sibilus sint familiares. Tumor aneurysmaticus, vel ex causis nocivis, visque externis, vel ex naevis nativis oriundus, e multis arteriis venisque ab initio constructus videtur; durus est et pulsationem non nisi obscuram, aut tremulum ostendit motum; sed quo magis increscit, eo facilius comprimi eoque cla-

37) Op. cit. p. 553.

38) *JOHN BELL* Principles of surgery. Vol. I. p. 456. — Vol. III. p. 255.

39) *C. F. GRAEFF* Angiectasie, ein Beitrag zur rationellen Cur und Erkenntniß der Gefaessausdehnungen. Mit 2 Kpirtfl. Lpsg. 1808.

rins pulsatio distingui potest; et quanto magis superficiem versus tendit, tanto certior diagnosi redditur et tanto magis structura ejus elucet. Tumor videlicet tunc e telae cellulosae cellulis systematicisque capillaris vasis dilatatis, multos saccos exhibentibus, formatur. Sacci autem, varicibus nonnunquam circumdati et colore purpureo gaudentes dirumpuntur interdum magna sanguinis copia, haud raro loco catameniorum effusa. Tantum autem abest, ut compressio tumeri illata ejus incrementum impediatur, ut potius acceleret.

De *aneurysmate spurio diffuso aliisque sanguinis in telâ cellulosa effusionibus*, quibuscum hodieque, quantum nobis quidem innotuit, aneurysma varicosum primo intuitu commutari haud potuit, ab aneurysmatis varicosi initio, vel aneurysmate spurio circumscripto in diffusum mutato si forte discesseris, uti casus a nobis commemoratus docuit; atque de *tumoribus aneurysmaticis Pottii*, de *tumoribus cysticis*, de *lipomatibus*, de *tumoribus inflammatoriis abscessibusque*, etc., qui aneurysmatum indolem interdum aemulantur, vel quorum ipsam indolem aneurysmata interdum quoque induunt; de his, inquam,

fusius disserere, hujus non est loci, nec conduxerit, cum in omnibus scriptoribus de aneurysmaticis morbis disserentibus, tanta exstet exemplorum farrago.

Prognosis.

Morbus simplex haud periculosum sese exhibet, ni turbetur; brevi enim ad statum continuo fere permanentem increvit, nec multum infert incommodi, praeter gravitatem lenemque membri paululum debilioris dolorem, quum sanguini arteria egredienti parum offendiculi opponatur et venae capacitas ad sanguinis accipiendi molem sit idonea. Tumoris spontanea divisio hodieque nunquamdum est observata, quamvis malum per tres 40), tredecim 41), quatuordecim 42), viginti quinque 43), quinimo per triginta quinque annos 44) adesset, ac POTT 45), cui tres hujusmodi ae-

40) HODGSON Op. cit. p. 519.

41) HAMILTON in Benj. Bell Lehrbegriff der Wundarzneikunst. Aus d. Engl. mit Kopfn. 3te Ausg. Th. I. 1799. 1804. p. 148.

42) SCARPA Op. cit. p. 93. § II.

43) CLEGHORN in BELLII Op. cit. l. c.

44) HUNTER in BELLII Op. cit. p. 147.

45) Bell Lehrbegriff der Wundarzneikunst. p. 148.

grotantes observare contigerat, repetitionem ne semel quidem necessariam fuisse visam confirmet, et CAROL. BELL 46) de tristi quocunque eventu, ut de hæmorrhagiis, etc., quidquam se audisse neget. —

At simulæ aneurysma varicosum cum aneurysmate spurio complicatum est, prognosia pejor redditur, quantumvis hac ipsâ morbi complicatione per plures annos laboraverint aegroti, ut aeger ille secundo loco ab HUNTERO 47) commemoratus, cui quidem per quinquennium tumor insederat. Membri autem vehementiores motus, etc. aneurysmatis spurii incremento favere et inflammationem suppurationemque vel sacculi rupturam inferre possunt. Nihilò secius tamen ejusmodi eventum rarissime in hac aneurysmatis varicosi complicatione observare licet, non nisi binis hujusce-

46) Carl Bell System der operativen Chirurgie übersetzt v. Dr. Kossmely bevozwortet v. Dr. E. F. Gräfe. Th. I. Mit 5 Kpf. Berlin 1815. P. 73.

47) Einige med. und chir. Beob. und Heilmeth. B. I. p. 37.

modi observationibus exstantibus, a PARKIN 48) et PHYSICKO 49) factis.

Cura.

Quum morbus plerumque haud difficulter feratur, præterea saepe omnino insanabilis visus, cura non nisi palliativa, quam dicunt nostrates, hodieque tentabitur. Membri morbo affecti vehementiores motus viriumque contentiones vel utique evitare, vel tales præferre debet aegrotus, quales membri situm elevatum

48) Medical facts and observations. Vol. IV. p. 111. Repertorium med. und chir. Abhandlungen für praktische Aerzte und Wundärzte aus d. wichtigsten und neuesten engl. Zeitschriften. Pp. 1794. B. II. p. 82 - 88.

Circa hanc quidem observationem haesitat autor ipse, an re vera aneurysma varicosum fuerit, nec, RICHTERO (Aug. Gottl. Richters chir. Bibliothek. B. XIV. Ethel. 3. Mit 1 Kpf. Göttingen 1795. p. 341) atque BENJ. BELLIO (Lehrb. der Wundarzneikunst. 5ter Th. 3te Ausg. Pp. 1809. p. 331) moventibus clare satis docuit.

49) Medical Museum. Vol. p. 65.

Abhandlung über d. Unterbindung der bedeutendern Schlagadern der Gliedmaßen mit einem Anhang zu d. Werke über Schlagadergeschwulst v. Antonio Scarpa. Aus d. Ital. v. Fr. Parrot. Berlin 1821.

postulant. Hac de causâ auctori isto incommodo laboranti suadebat *GLEGHORN* 50) ut tonsozum artem addiceret. Vestimentorum angustorum atque cuiusvis fortis compressionis, quibus sanguini venoso cor versus ascendenti obex ponatur, evitatio, parvae verae sectiones, victus tenuis, quies, nec minus etiam compressio conveniens et modica, sed exacte adplicata ac per longius tempus continuata multum sane profuerint. Compressio illa rite instituta in hac aneurysmatis specie omnino sanandâ magni profecto erit momenti, sicuti varia jam fidem faciunt exempla. *GUATTANI* 51) videlicet ex chirurgo quodam, ad quem aegrotus, postquam idoneam ei adplicaverat vincituram, remissus erat, ut eandem vinciendo methodum continuaret, rescivit, aegrum, praeterlapso mense, pristinam recuperasse sanitatem; *MONTREGGIA* 52) observavit idem; *BRAMBILLA* 53) duas adfert morbi sanationes, quibus altera intra sex, altera intra quatuor menses

50) *Bon et Abb. über d. chir. Kranth.* B. II. p. 161.

51) De spurio brachii aneurysmate historia IV. in *LAUTH* Script. lat. de aneur. collect. p. 225.

52) *Instituzion chirurgiche.* Tom. I. p. 187. conf. *SCARPA* Op. cit. p. 93.

53) Op. cit. p. 102 et p. 103.

et dimidium perficiebatur et *WINTER* 54) intra novem menses sanavit aegrotam, et ita quidem, ut vasorum lumina non obliterated essent; licet *SCARPA* 55) semper obliterated esse vasa contendat. — Inter curandum morbum, parvum in tumore coagulum est observatum, tumor ipse difitiam sortitus pulsationem interceperat, ut quae deinde mox plane evanesceret 56). Sin minus forte haec methodus successerit, vel sinistra fuerit instituta; si sanguinis transitu ex altero vase in alterum quidem impedito, at utriusque vasis aperturæ haud arcte conjunctae fuerint — tunc aneurysmatis varicosi cum aneurysmate spurio complicationis prona est origo; quam ob rem *SCARPA* 57) compressionem instituendam esse censet in tumoribus nuperrime ortis, minori ambitu gaudentibus, consistentiae mollis, in juvenibus macilentisque et in quibus utriusque vasis vulnera adamussim se contingentia os subjacens versus comprimi possunt.

In aneurysmate varicoso cum spurio compli-

54) *SIEBOLD* Chiron B. I. St. 2. p. 370.

55) Op. cit. p. 93. §. 13.

56) *BRAMBILLA* in Op. cit. p. 104.

SCARPA Op. cit. p. 93. §. 12.

57) Op. cit. p. 93. §. 13.

cato cura etiam vel palliativa, quam dicunt, vel radicalis compressione adhibendâ potest tentari, cum de felici successu multae extant observationes, circa aneurysmata spuria, ipsâ compressione, dexterrime tractata.

Sin venae apertura, quâ, cum aneurysmatis spurii sacco, communicatur, non satis ampla fuerit et sanguini ex arteriâ per saccum in venam transgredienti vis major resistat, tum, sacco nimium extenso, denique rupturae discrimen imminet, aut ipse vere ruptur. Idem pariter vehementioribus membri motibus aut compressione non summâ cum diligentia instituta eveniret. Tum igitur omnes in aneurysmatibus spuris et veris usitatae medendi rationes in auxilium sunt vocandae, licet ad postram usque aetatem non nisi binae operationes chirurgicae exigentur, testante *HODGSONIO* 58); quibus quidem a *PARKIN* et *PHYSICKO* allatis et supra jam commemoratis, sacci aperiuntur, coagulato sanguine remoto arteriae supra pariter atque infra tumorem ligantur prosperrimo cum eventu.

58) Op. cit. p. 522.

T h e s e s .

I.

Distinguendum est inter compositum morbum et complicatum.

II.

Filum crassius praefendum est tenuiori, in vasis ligandis.

III.

Nymphomaniae natura in ovariorum inflammatione occulta consistit.

IV.

Bulbus magis caulibus, quam radicibus, adnumerandus esse videtur.

V.

Ad perficiendam exfoliationem in osse necrosi corrupto medicamenta, quae externa dicuntur, nequaquam sunt adhibenda.

VI.

Partus praematūrus arte productus nulla ratione est
probandus.

VII.

Plantarum vires medicae ad earum formas externas
et classificationem naturalem sisti possunt.

VIII.

In matrimoniis contrahendis medici consultum haud
raro est summi momenti.
